

pena usurpavit? Ubinam reverentia fratris et episcopi in pace catholica requiescentis? Ubinam sacra canonum auctoritas, quę causam defunctorum in solo divini examinis reponit arbitrio? Ubinam apostolicum illud¹: 'Nolite ante tempus iudicare', et alia huius generis sexcenta? Nam exhortatio vestra, qua mihi divinum terrorem sic terribiliter incutere conamini, mihi quidem pro caritate est grata, pro salute necessaria, veruntamen pro cause qualitate plane ociosa. Statui enim cause huius tenorem Deo volente in eum deducere terminum, ut et Dei ipso propicio declinem offensam nec vestra fraternitas se in aliquo lesam iure conqueratur. Val(ete). De servitio, quod rogastis, quod voluistis et quantum voluistis et ubi voluistis, bono et optimo animo caritati vestrę paratum erit.

34.

*Der Bamberger Klerus an den Erzbischof A(dalbert) von Hamburg: bittet um eine Unterstützung zur Erleichterung des Notjahrs und um Schutz für die Bamberger Getreideschiffe.
(1065 etwa Mai.)*

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 60.

Reverentissimo Hamaburgensis ecclesię^a archipresuli A. orbus ille et desolatus Bab(enber)gensis clerus debitum illud et sincerum orationis sue in Christo sacrificium.

Quod summam imperii totamque rerum molem quasi humeris quibusdam prudentie et experientie^b vestrę divinitus sustinetis, unice nos ut equum gratulamur tum nomine rei publice, cui tam prudens gubernatio maxime necessaria est, tum quod vestrę dignitati debitus splendor accessit, postremo quod nostris difficultatibus in vobis et per vos egregie consultum esse confidimus. Et quia ultro citroque occupatum pluribus litteris non vacat, assidue etsi magno verecundie nostre dampno, haut minore tamen libertatis nostrę fidutia aliquam opem subsidiumque ad presentis anni inopiam sublevandam humiliter a vobis suppliciterque in commune flagitamus. Pudet nos certe edere, quam acerbissimis casibus circumventi simus. Solennis quippe agrorum redditus horrenda quadam sterilitate interceptus periit, domnus

34. ^a) folgt clero c. ^b) experientie c.

¹) 1. Cor. 4, 5.